

tunc, & quantum te amabunt? Certè, nec oculi vident, nec auris audit, nec in cor hominis ascendit in hac vitâ quantum te cognoscunt, & amabunt in illâ vitâ.

*Documenta ad perfectionem ex Divi  
Bernardi formulâ honestæ vitae.*

**S**I plenè vis assequi quod intendis, duo sunt tibi necessaria. Primum est, ut subtrahas te ab omnibus transitorijs rebus, & terrenis, ut nihil de eis cures, ac si non essent. Secundum, ut ita te des Deo, ut nihil dicas vel facias nisi quod credideris firmiter placere Deo. Primum autem assequeris hoc modo. Omnibus modis, quibus potes, te vilifica, te nihil reputando esse, sed credas omnes homines esse bonos & meliores te, magisque placere Deo: quæcunque audis, vel vides in Religiosis personis puta bonâ intentione dici vel fieri, etiamsi contraria videantur: nam humana suspicio facile fallitur. Nulli disciplinas, nihil unquam de te loquaris quod laudem importet, quantumcunque sit familiaris

ille cum quo loqueris: immo plus labora celare virtutes, quam vitia; de nullo prorsus sinistrè loquaris, libentius accommoda aurem tuam, cum aliquis laudatur, quam cum vituperatur. Cum loqueris, verba tua sint rara, vera, ponderosa, & de Deo: si quis loquitur tecum, & vana proponit, quanto citius potes, succide sermonem, & transferas te ad ea, quæ Dei sunt. Quicquid contingat tibi, vel alij, quantumcunque coniuncto, non cures: & si est adversum, non tristeris; si est prosperum, non læteris: sed totum nihil puta, & Deum lauda. De nullâ re murmures cum aliquo, nunquam pertinaciter aliquid affirmes, vel neges, sed sint tuæ affirmations & negationes, dubitationis sale conditæ,

Secundum assequeris hoc modo: orationibus cum magnâ devotione intendas & eas dicere labora horis debitiss, & quod offers in oratione, reminiscaris in corde. Ista tria semper in mente habeas: Quid fuisti? quia sperma fœtidum; quid es? quia vas sterorum; quid eris? quia esca vermium. Similiter imagineris eorum pœnas, qui sunt in inferno, & quod nunquam finientur, & pro quām

quām modicā delectatione tanta mala patiuntur. Similiter imagineris gloriām Pāradisi; & quōd nunquam finietur, & quām breviter & citō acquiritur: & quantus luctus & dolor poterit esse illis, qui pro parvā re tantam gloriam amiserint. Quandocunque est festum alicujus Sancti, cogita de illo, quanta sustinuit propter Deum, quia brevia; & qualia adeptus est, quia æterna. Similiter cogita, quia transiunt bonorum tormenta, malorum gaudia. Hi cum istis tormentis adepti sunt gloriam æternam, & isti ex indebitis gaudijs æternam pœnam. Quandocunque te vincit acedia, cogita de tempore, quod sic perdis, & quōd illi, qui in inferno sunt, darent rotum mundum (si haberent) pro eo. Cūm habes aliquas tribulationes; cogita quōd illi, qui sunt in paradiso, carent eis: similiter cūm habes aliquas consolationes, cogita illos de inferno carere eis. Omni die, cūm vadis cubitum, examina diligenter, quid cogitasti, & quid dixisti in die, & quomodo utile tempus & spatium, quōd datum est ad acquirendam vitam æternam, dispensasti: & si benè transiūsti, lauda Deum; si male, vel negligenter, lugeas. Si aliquid cogitasti, dixisti, vel fecisti,

quod tuam conscientiam multum remordeat, non comedas antequam confitearis, vel conteraris. Istud in fine pono, ut imagineris duas civitates, unam plenam omnibus tormentis, quæ est infernus; alteram plenam omni consolatione, quæ est paradisus; & ad unam illarum oportet te currere. Vide utram eligas, ut inhabitet in te Spiritus sanctus: serva quæ hic legis, & lauda Deum; qui est pius

& misericors in saecula saeculorum

Amen.

**C O G I**